Cynerski Joannis: Professor academicus in funere Gaspari Gelasini Leopol. – posthumae memoriae consecratus.

PROFESSOR ACADEMICVS

In Funere

EXCELLENTIS OLIM D.

GASPARI GELASINI

LEOPOLIENSIS,

Artium & Philosophiæ Doctoris, ac Professoris, Collegæ Minoris,

Viri naturâ, doctrinâ, moribus integerrimi,

A

M. IOANNE CYNERSKI RACHTAMOVIO, Coll: Min. Ordinario Elequ: Profess.

posthumæ memoriæ consecratus.

CRACOVIÆ,

In Officina Francisci Cæsarii, Anno D. 1637.

D. HIERONYMVS,

Ad Heliodorum, de morte Nepotiani.

SEntiſne, obſecro te, quando infans, quando puer, quando iuuenis, quando robuſtæ ætatis, quando ſenex factus ſis. Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos eſſe credimus. Hoc ipſum quod dicto, quod ſcribitur, quod relinquo, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum damna ſunt temporum. Solum habemus lucri, quod Christi nobis amore ſociamur.

CLARISSIMIS & CONSVLTISSIMIS OMNIQ. VIRTVTVM & SCIENTIARVM GENERE ORNATISSIMIS

PROCONSVLI & CONSVLIBVS cunctoque Senatui, INCLYTÆ VRBIS LEOPOLIEN.

M. IOANNES CYNERSKI RACHTAMOuius, Coll: Min. Ord: Eloqu: Professor, Salutem & prosperrimam bonorum omnium accessionem cõprecatur.

A*CERRIMI doloris causas, quas ob insperatum Excell: olim D. GASPARI GELASINI fatum, Senatus Academicus sensit, Oratione lugubri, in ædibus S. ANNÆ exposui, literisq; publicis, eorum consilio, quorum apud me plurimum valet auctoritas, incitatus, consignaui, Vobisq; transmittendas putaui, PROCONSVL, & CONSVLES Clarissimi. Communis iste dolor, grauiter Almam Academiam & Vestram Remp. perculit & afflixit, cum vtriusq; non mediocris in vno Ciue, sit extincta spes, & lætitia suffocata. Magna vobis ille, optimi Senatores, moribus ingenuis, vitæq; probitate, dedit argumenta gloriæ; magna Almæ Vniuersitati reliquit, & maiora parare destinauit, eruditionis & doctrinæ monumenta: quæ vno impetu fatum luctuosum confudit, & oppressit. Quanquam non totum nobis absorpsit, mors acerba GELASINVM, maior illius & melior pars nobiscum superstes est, atque dulci in recordatione Ciuium optimorũ viuit. Quicquid enim piè sanctèq; gessit in vita, quicquid laboriosè confecit in literis, quicquid honorificè præstitit in luce publica Lycæi, id totum manet, manebitq; apud gratam & literatam posteritatem: neque illius meritorum gloriam, iniuriosa*

cum Cineribus obliuio sepeliet. Hanc igitur Orationem, quam iustus mæror expressit, pietas officiosa perorauit, extremi Funeris, Comitum & Amicorum confluxus tristissimus, cū lachrymis ad urnam excepit, Vobis Consules Consultissimi mitto: partim ut ex virtutibus meritisq; boni Professoris, quem rudi penicillo, velut in imagine adumbraui simpliciter (nam verus omnem respuit ornatum dolor) aliquot solatium capiatis: partim ut pro singularibus multorum in me collatis Ciuium beneficiis, meam quoque promptam obseruantiam, in Vos omnes literarum & literatorum amantissimos Viros, vel hoc primo munere expreßam habeatis. Fulgete clarissima lumina Russiæ, Viuite communis vindices æquitatis, Valete intimi arbitri veræ libertatis, & nostro Collegio, nostrisq; studiis (ut semper fuistis fauentissimi) æternùm fælices & fortunati fauete: fauebitis autem, si multos GELASINO similes, ingenio, moribus, eruditione, sed longiori firmioriq; vita maturos, quàm ille fuerit alumnos, in nostram Academiam Vobis semper, vestrisq; liberis, & omni posteritati addictissimā libenter submiseritis, à me verò lætiora grati animi monumenta, Vestrumq; in obsequium munera honoris expectaueritis auspicatiora. Dat. è Coll. Min. die 27 Septem. Anno D. 1637.

PRO-

PROFESSOR ACADEMICVS.

INSPERATVM & LVCTVOsum fidelis & laboriosi Professoris spectaculum, in hoc templum, & Vestrum publicum conspectum deductum est, Aud. mæstissimi. Positus est in feretro mutus & squallidus, qui in Cathedra, & Lycæo facundus & eruditus, ante dies aliquot, cum singulari Iuuentutis attentione, doctorumque Virorum approbatione spectabatur, & audiebatur Gelasinus. Nunc extremum persoluunt obsequium amici amico integerrimo, discipuli Præceptori diligentissimo, Ciues Academici Professori desideratissimo, Cognati affinesque lucis adhuc vsurâ fruentes, affini Optimo, intra septiduum, misere vitâ spoliato. O triste & inexorabile fatum, ô indignam conditionem hominum! O spes inanes omnes & fallaces, quæ ante scopulis alliduntur, naufragio obruuntur, & corruunt, quàm portum bonæ securitatis conspicere potuerunt. Ille viuidus ingenio, florens ætate, viribus corporis integer, præstans eruditione, conditione bonorumq; fortunæ, non admodum indigus, indole lepidus & hilaris Gelasinus, subitô ex hac vitæ statione, &

è conſpectu omnium, ſupremi Imperatoris voce euocatus diſceſsit, nobiſq; omnibus, nihil præter mærorem, & triſtem comploratıonem reliquit. Dolent hoſpites & incolæ, Virum humaniſsimum; Profeſſores Collegam gratiſsimum; intimi familiares, amicum candidiſsimum: dolet miſera, & non minus ætate, quàm mærore confecta mater, filium dulciſsimum, atq; adeò permoleſtè fert, & indignatur, nō ſe priorem mortalitatis conditionem abſoluiſſe, non ſe priorem fato ſuccubuiſſe acerbo. Et quāquam meritò omnes doleatis Aud. & vultu atque oculis, triſtiq; ſilentio, mærorem manifeſtiſsimum præferatis, ſi tamen altiùs cum animis Veſtris cōtemplatı fueritis, qualem Profeſſorem naturâ, doctrinâ, moribus amiſerimus, grauiores atque maiores credo, pectora Veſtra præfodient dolores. Quod quidem Vos acerrimo iudicio conſpicuos Viros, etiam ſine admonitione mea, diligentiſsimè facturos arbitror. Neq; enim officio coniunctior dolor cuiuſquam eſſe poteſt, quàm hîc Veſter Aud. Academici, ſuſceptus ex hominis de literis optimè meriti fato: neq; pietas magis vlla laudanda, quàm ea, quæ multis abſentibus amicis, & cognatis, à Vobis religiosè ſolenniterq; ſuſcipitur. Veſtræ igitur erunt partes Viri doctiſsimi, dum has doloris rationes breuiſsimè propono, patientes & benignas aures mihi dicenti accōmodare.

Ac inprimis Aud. in hoc confluxu ampliſſ vnum quēque mortalium, qui præceptis & inſtitutis ingenuis imbutus eſt, exiſtimo communi damno, atq; periculo, per

mioueri:

moueri: cum videat alumnum Mineruæ, Philoſophiæ Doctorem, officio profeſſorem, honore Collegam, quem Alma bonorum parens ingeniorum Academia, tot annis moribus optimis imbuiſſet, artibus liberalibus inſtituiſſet, laureis ornaſſet, beneficiorum acceſsionibus euexiſſet; quem virtus ipſa, ad ſumma quæq; vocaſſet, tam ſubito fato vitæ finem inueniſſe, & ex hac florentiſsima Virorum Corona, lubrico mortalitatis lapſu decidiſſe. Facilè enim Sapientiſsimi Viri, qui de rebus omnibus optimè iudicare poſſunt intelligunt, quanta ſit & quàm grauis in Rep. literaria, boni iactura Profeſſoris, qui à primis vnguiculis, vt dicitur, quàm diligentiſsimè fingendus erat; & per omnes ætatis gradus, multo labore, Optimorũ Præceptorũ, aſsiduo ſtudio, variâ exercitatione, pluribus experimentis, altiſsimâ prudentiâ, præſtantiſsimo conſilio, patientiâ, fide, conſtantiâ, ad tantam ingenij maturitatem, tantam gloriam eruditionis, quanta perfectò ſufficeret Profeſſori, traducendus. Non ſubito Aud. non ſubito, bonus Profeſſor, tanquam argillæ ſimulachrum, ex officina figuli Promethei conflatum, in conſpectum Orbis erumpit. Quid enim perfectum eſt, quod citò fit? Elephas decennio fert vterum, vt ſolidiorem pariat fætũ. Vigor ingenij, non omnibus annis viget, ſenſim ad maturitatem peruenit ſuam. Laborandum eſt, vigilandum, ſudandum, iterum iterumq; enitendum, vt doctiſsimorũ Virorum auctoritate, ſuâ vocatione dignus Profeſſor approbetur. Quàm verò graue ſit, quam miſerabile, & dolendum, tot horas, dies, menſes, annos, laborioſiſsimè

consumptos, in vnius hominis iactura, vno momento perdere, nemo potest dicere, nisi ille, qui tot labores sustinuit, tot molestias concoxit, tot curas sollicitudinesq; deuorauit, quot ad absolutam requirebantur eruditionem comparandam.

Sed quorsum interea disputamus Aud. cum in conspectu præsentem habeamus, bonum Professorem GELASINVM, quem mors nobis eripuit insperata. Fuit ille naturâ, ingenio amænissimo, & omnib. artibus percipiendis promptissimo, vt facili negotio, perferre laborē, tædia sessionis superare, vim difficultatum vincere, & in eruendis altissimis sensibus, sine defatigatione mētis proficere posset: quod nobis toties suis laboribus luculenter & abunde comprobauit. Non enim ignobile aliquod oppidum, sed princeps Vrbs Russiæ Leopolis, optimis ingenijs feracissima, syderum benignitate fælicissima, ædificiorum splendore nobilissima, agrorum vbertate, camporum amænitate, montium præsidijs & aspectu, Ciuium humanitate, sapientiâ, candore celeberrima, hunc nobis laboriosum iuuenem transmiserat. Habet equidem hæc Vrbs Aud. cælorum benignissimum quendam influxum, liberalibusq; ingenijs fauentissimum Planetam, vel ipsam quæ Athenis olim præsidebat præsidem Palladem: cum quisquis in hac Vrbe natus est, aut acutus Poëta, aut neruosus Orator, aut subtilis Philosophus, aut præstans medicus, aut iuris Sacerdos eximius, aut sublimis Theologus, aut omnium Scientiarum peritissimus arbiter habeatur. Hinc numeramus illos Leopolitas feruentissimos,

Fabia-

Fabianos Bircouios, mellitiſsimos Concionatores; Simonidas Poetas admirabiles; Dibouicios, Sixtos, Alnpechios, velut Æſculapios, vel Podalirios, atque Machaones, in arte medendi prope Deos; Campianos, Sulcios, legum arbitros prudentiſs. cæteroſq; Ciues, quorum annales vetuſtatis, referunt inſignes virtutes; quibus cum iudicio grauiſsimo, prudentia incredibili, fortitudine heroica, iuſtitia diuina, auctoritate ſingulari, in defendenda Patriæ libertate, in bono communi propagando, vel propugnando, omnibus ſæculis floruerunt. Quid quod Senatus ipſe cultu, maieſtate, honoribus Academicis, omnium ſit maximè venerabilis, & auguſtus: vt quot Senatores tot Philoſophi; quot Conſules, tot Iuris vel Medicinæ ſint Doctores. Nullus ibi director ſcholæ fuit, quē non aut in ſuum Senatum, aut in ampliſsimum Canonicorum Collegium aſſeruiſſent. Vnde plebiſcita laudatiſſima, iura nobiliſsima, leges patriæ libertatis præſtantiſsimas, Concionatores & Sacerdotes grauiſsimos, & integerrimos, vt quoque populus habeat vniuerſus eſt neceſſe. Nullas inſidias Scytharum, nullam prælij dimicationem, nullam inopiam rei frumentariæ, nullam ſeditionē plebis, nullam impreſsionem militum, incolæ Leopolienſes pertimeſcunt. Et qui ſæpe bellorum tumultus, etiam munitiſsimas vrbes afflixerunt; Ciuibus certè Leopolienſibus nihil nocere potuerunt: quibus ob ſummam prudentiam, & in rebus agendis dexteritatem, Regumq; fauorem, inprimisq; Diuinæ Maieſtatis benignitatē, ſumma Pax, ſumma tranquillitas conceſſa eſt. Atq; ille quidem

dem princeps ingenij & doctrinæ Plato (vt Suadæ medulla Tullius in illa pulcherrima ad Q. Fratrem Cohortatione de administranda Asia refert) tum deniq; fore beatas Resp. putauit, si docti & Sapientes homines, eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium, in doctrina & sapientia collocassent. Possem tantam bonorũ amplitudinem, atq; constantiam, vobis quanquam absẽtibus, vberiùs interea gratulari Ciues Sapientissimi, nisi dolor altiùs meo infixus animo, me affectus inter se contrarios, lætitiam tristitiæ, gratulationem mærori, miscere prohiberet; sed commodiorem tamen temporis occasionem, mea vota desiderant, & Vestræ laudes requirunt. Hâc igitur in Vrbe clarissima Aud. natus est Gaspar Gelasinus, ijs Parentibus, qui per bonam institutionem, in tenera ætate, egregias suas animi corporisque dotes confirmarunt, & ingenium pulcherrimis præceptis, ad virtutis & pietatis exercitia prensanda excitarunt. Patrem habuit, vt pleriq; meministis Aduocatum, Virum, & sapientem, & iustum, & benignum Nicolaum Gelasinum; Matrem ex Domo clarissima Anserinorum, Annam Honestã Matronam, & omnib. Virtutib. ornatam: quæ summo suo cum dolore superstes est, & afflicta viuit. Auus illius fuit, eiusdem nominis cuius pater, Nicolaus Gelasinus I.V.D. Consul Leopoliensis, eloquentia, candore, prudentiâ, auctoritate, inter Ciues sui temporis, facilè princeps. Qui cum illum pariter Sapientissimum ac Victoriosissimum Regem, Stephanum Bathoreum, spolijs opimis, ob deuictos hostes ornatum, potissimumq; ob Polotiam &

Liuo

Liuoniam receptam triumphantem, luculenta & illustri gratulatione, nomine Senatus Populiq; Leopoliensis excepisset, magni Nomen Oratoris, cum pulcherrima meruit approbatione. De hoc quoq; Senatore, nobilissimi Poetæ Simonis Simonidę, celeberrimum extat elogiũ, quod paucis verbis ingentes laudes in Epitaphio cõtinet.

Oraculum Vrbis, Iuris Antistes sacer,
Legum sequester, aureum os eloquentiæ,
Hic conditur Gelasinus humili ingens humo;
Gelasinus ille, cui nec ante habuit parem
Nec post habebit, quantacunque Ciuitas!

O mirabile carmen, ô stupendum vaticinium! Nunc mihi Poetas destitui suo enthusiasmo clamet aliquis, cũ tam apertum præsagium nostri Simonis Simonidæ teneamus. Nam profecto inter duos fratres germanos, Nicolaum & Ioannem, qui sunt superstites, vitamque Ciuilem incolunt, hic tertius Gaspar Gelasinus, Vrbem meritis recreare, nostrumq; Lycæum vt incepit, sapientiâ plurimos in annos ornare debebat, vt suo patri par, & æqualis Auo videretur: at verò ille iam spes nostras elusit, & morte prostratus iacet. Potuit ille tantis præsidijs munitus & obfirmatus facili negotio erumpere in conspectũ Vrbis, & Orbis, qui patriâ ingeniosus, parentibus ingenuus, educatione fuit liberalis: cuius præsertim sagax ingenium, labor honestus, laborem fides perspicua, fidem honores amplissimi, quo se cunq; contulisset, ornassent, promouissent. Satis præclaras in virtutibus adolescens progressiones, & quidem tempestiue faciebat, iuuenilẽ

ætatem, quæ ſua ſponte lubrica eſt & infirma, pudore & modeſtia firmabat, ſtudijs nobiliſsimis excolebat: nihilq́; prius aut antiquius ducebat, quàm in curſu optimarum rerum ſemper verſari: illud identidem ſecum reputans (quod quiſq; ingenuus adoleſcens seriò cum animo ſuo debet reputare) eum demum viuere, & animo frui, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Vt verò ingenio doctrinam, ſic etiã vſu præcurrebat ætatem. Non ille adoleſcentiam, voluptatum illecebris infecit vel afflixit, non naturæ bonis, ad animi mollitiem abuſus eſt. Ob quas virtutes vitæq́; probitatem, & egregios in bonis diſciplinis conatus, placuit omnibus vehementer: ſed inprimis placuit fauentiſsimo Præceptori ſuo (cuius ego publicam honoris cauſa, cum ſumma grati animi ſignificatione, pro liberali mei quoq; inſtitutione facio mentionem) placuit inquã Excellentiſs. & Adm: Reuereñ: D. IACOBO VITELLIO, Canonico S. ANNÆ, Nouoduorſcianarum Scholarum Prouiſori, eloquentiæ Profeſſori Tyliciano: ex cuius gimnaſio in Poloniam, tanquam ex Iſocratis eloquentiſsimi ludo in Græciam, innumerabiles Ciues eloquentes, & Doctores laudabiles prodierunt: placuit inquam bonus diſcipulus optimo Præceptori, cuius etiam conſilio ſaluberrimo, laureas Academicas prenſauit, quas inſuper dignitate ingenij & doctrinæ, non ambitione obtinuit. Quà verò pietate & grati animi ſignificatione præditus fuerit erga Altricem ſuam Academiam, inde liquet, quod eos ingenij & eruditionis theſauros, huic ipſi benignæ Parenti,

in eru-

in erudienda nobili iuuentute potiſsimum erogare voluerit. Honoribus ornatus Academicis, in vno loco fixus manebat Aud. ad laborioſam palęſtram Nouoduorſcianã poſitus hærebat, iuuentutem frequentiſsimam diligentiſſimè in artibus humanitatis erudiebat. Quantus hîc & quàm grauis labor ſit, nemo niſi qui expertus eſt intelligit, qui fortiſsimarum nonnunquam Virium Viros depreſsit & afflixit. Non igitur excurrebat in Colonias bonæ ſpei, non prenſabat occaſiones congerendorum nummulorum; non ruſticabatur, non peregrinabatur, in Inſulas fortunatas, vt hac ratione diteſceret. Non nundinatorem neſcio quem, ſed in omni patientia, candore, probitate, verum fidelemq; agebat Profeſſorem.

Et iam illorum laborum, quos grauiſsimos ſuſtinuit per quinquennium in palæſtra Nouoduorſciana, primũ fructum decerpſerat: iam ſcilicet laborem pro labore, tanquam præmium & ſolatium pulcherrimum lucratus fuerat; iam in hoc Collegium Philoſophorum quod minus appellatur, propter minimas redituum fortunarumq; acceſsiones, more ſolenni maiorum vocatus fuerat: iam hæſerat quaſi ad metam, & in Parnaſſo amæniori fuerat collocatus, in Conſortiumq; Virorum receptus; è quorũ numero cum opus eſt, Clariſsimum Collegium Iuriſperitorum, Doctores; Iagelloniana Sparta, regios Profeſſores, Nobililsima Medicorum Familia, aut Theologorum ſublimis & Auguſta Facultas, operarios eximios, elegit, & ſecernit ſibi: cum illum hiſce tantis ſolatijs fata frui non permiſerunt atrocia. Sibi iam ſerebat vt olim meteret, ſuam

ſuam Spartam quam nactus erat ornabat: ingenium pulcherrimarum rerum contemplatione acuebat, excolebat; vt in dies perfectior euaderet; & in ſua Profeſsione Doctor dignior, ampliſsimorum Virorum iudicio, qui vſu, ætate, aſsiduitate excocti, optimè de literis, de ingenijs, de laboribus, de eruditione cuiusq; ſentire poſsunt, probaretur. Poſt diluuium quidem Aud. doctiſſ. vt Poëtæ tradunt Deucalion cũ Pyrrha, Themidis conſilio, genus humanum lapidibus reparaſſe feruntur retroiactis. Sed fuerit fælix hac mirabili hominum procreatione, cum ſua Pyrrha Deucalion, qui mitioribus vt credo conſilijs, ne moribus efferati lapideſcerent homines, prohibuit: atq; adeò vt relictis ſaxeis ſpeluncis, humaniorem in Vrbibus vitæ rationem, virtutumq; cultum elegantiorem, ſequerentur, perſuaſit: Tu nobis Sarmatice Deucalion D. VLADISLAE IAGELLO (nam operæ pretium eſt, vt frequenter & ſolenniter gratam & iucundam tui memoriam faciamus, præſertim in eo templo, quod D. ANNÆ Academicorum Patronæ conſecratum, eximij Patris noſtri IOANNIS CANTII pijs Cinerib. glorioſum eſt, & apud eos Auditores, qui in Tuis laudibus & meritis ornandis, ſunt ſemper promptiſsimi) Tu inquam nobis Rex Optime, cum Tua Pyrrha fideliſsima, D. HEDVIGE, tanquam ex lapidibus homines finxiſti, barbariem extinxiſti, mores ingenuos inſpiraſti, humanitatem formaſti, libertatem promouiſti, Sapientiam, Iuſtitiam, fortitudinem, Religionem, cæteraſque virtutes quibus hoc Regnum ampliſsimum, hodie floret abundè fixiſti, con-

firmaſti:

firmasti: Tu deniq; Orbem Sarmaticum, à grauißimo diluuio vitiorum, eripuisti, liberasti, conseruasti. Hoc enim Prytaneo constituto, in quo benè meriti de literis & pietate viri educantur, maiorem templis sanctitatem, vberiorem Senatui sapientiam, firmiorem Equestri Ordini libertatem, Patriæ gratißimum splendorem, ac nouã quãdam lucem infudisti. Quid aliud in illa vetere Sarmatia fuerunt populi, quanquam bellis intenti maximis, quàm Pythonis Serpentis è dẽtibus enata progenies, vt infestis armis inter se collideret. Vincebant barbaros, & ipsi vincebantur à barbaris vicißim, sine modo, sine discrimine, sine gloria rerum gestarum, more Andabatarum; nisi pro uidus Apollo, sagittis suis, id est, Virorum doctißimorum ingenijs, eruditione, Sapientiã, hoc turpe monstrum iugulasset, confodisset, sustulisset, & barbariem ac ignorantiam, extra omnes Imperij fines exclusisset. In hoc igitur Lycæo Iagelloniano, in hoc domicilio Musarũ, in templo sapientiæ, & honoris amphitheatro, quanti sit laboris, Aud. doctiss. quanti ingenij, quantæ eruditionis, ne barbaries inuadat animos, personam Professoris, & Professoris publici sustinere, facilè quę vestra est prudẽtia potestis iudicare. In quo nimirum, non vnius artis leuis cognitio, sed omnium propemodum scientiarum encyclopedia requiritur; quæ tanta perfectio, forsan in hominis tam breuem & arctam vitam non cadit. Ingenio sit præditus vario & exquisito, iudicio diuino, memoria firma & fælici, vsu multiplici, omniũ rerum cognitione mirabili; qui se Professorem Academicum velit nominari.

Suba-

Subacto mihi ingenio opus est (ait Tullius cum suum fingit Oratorem) vt agro non semel arato, sed nouato, & iterato, quo meliores fætus posſit & grandiores edere. Subactio autem est vsus, auditio, lectio, literæ. At de Professore Academico quid statuemus Auditores doctiſsimi? Opus est vt cum Orpheo teneat lyram, cum Archimede circinum, cum Vitruuio perpendiculum, cum Ptolomæo astrolabium, cum Alphonso tabulas, cum Athlante sydera, cum Thalete pondera, cum Halisio specula, cum Zenone tempora, cum Pomponio climata, cũ Chrysippo numeros, cum Euclide figuras, cum Archita mensuras, cũ Platone Idæas, cum Aristotele syllogismos, cum Marone Poëmata, cum Tullio Suadellam, cum Dionysio Areopagita Hierarchiam cælestem; vt cum singulis artificibus de singulis artib. & scientijs posſit ratiocinari: & ita ratiocinari, vt aliquis Carneades approbet, Aristarchus asterisco insigniat, Cornutus non fastidiat, Persius oblectetur, Seneca seligat; Stoici contra suam naturã mirentur, Pythagorei supra naturam speculentur, Epicurei secundum naturam venerentur, Lælius Decimus, aut Varro doctiſsimus, prudentiam, copiam, & ornatum penitus nõ requirant. Quocunq; processerit Professor in incessu grauitatem, in lingua eloquentiam, Arithmeticam in digitis, Astrologiam in oculis, Dialecticam in ingenio, Ethicam in moribus, timorem Domini in corde, in vultu totoq; corporis habitu, omnes Virtutes, tanquam perpetuas Comites secum vbiq; circumducat. Sit insuper heroico animo, quem non facilè frangat labor, non deprimat egestas, nõ

æmulus

æmulus bonis ingenijs conficiat liuor, non contentio, nō assiduitas, non vigiliæ, nō graues quotidianæq; lucubrationes exhauriant! Magnum est igitur Professorem Collegamque profiteri, præsertim in ea rerum omnium difficultate ac tenuitate, quâ nulla maior excogitari potest. Quod cum considerant, aut iam vsu consequuntur imbecilliores è plebe animæ, memores suæ tenuitatis, qua data porta ruunt, hastas abijciunt, alio spes suas conferunt, alium ad scopum sagittas dirigunt. Ferreus sis, aut ex adamante conflatus, ait illorum non nemo, prosternet te labor improbus, deijciet egestas, extinguent frigora. Nullus hîc nisi macie confectus, exhaustus vigilijs, attritus lucubrationibus, viuam mortis circumfert imaginem. Pœnitere tanti quis emat?

Et quem contemptis iuuat impallescere ludis,
Cultor vbi iuuenum purgatas inserit aures
Fruge Cleanthea. Sapio mihi, non ego curo
Esse quod Arcesilas, ærumnosiq; Solones
Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atq; exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.
Quæq; docet sapiens, braccatis illita puppis
Porticus, in somnis quibus & detonsa Iuuentus
Inuigilat siliquis, & grandi pasta polenta.
Hoc est cur pallent! cur quis non prandeat, hoc est!
Iam pridem hunc sepeli, tu restas, perge Magister.
Hunc tremor arripuit varius, calidumq; trientem
Excussit manibus, dentes crepuere retecti
Vncta cadunt laxis, tunc pulmentaria labris.

Hinc tuba, candelæ, tandemq; beatulus alto
Compositis lecto, crassisq; lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit, at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Non hæc ociosorum hominũ deliramẽta curabat Aud. ac ne in animum quidem admittebat, laboriosus noster Gelasinus, sed cum diuino Platone, cum Achille bellatore fortissimo, clarorum Virorum non longam vitam, sed meritis gloriosam, virtutibus illustrem esse debere iudicabat. Qui autem Veneris Nepotuli hæc dictitarent, eos secundum Ciceronis eloquẽtissimi sententiam, ignaros aiebat, quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret: quæ in tempestate sæua quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamen, atque hæret in patria, splendetque per se semper, neque alienis vnquam sordibus obsolescit. Virtus ait Euripides, etsi moriatur quis non interit, sed viuit corpore non amplius existente. Malis autem hominibus cuncta simul euanida commoriuntur sub terra.

In hoc igitur Collegium Philosophorum receptus Gelasinus, eruditionis, laboris, pietatis, quo ad nobiscum vixit, singularia dedit argumenta. Nemo ipsius philaphiam, nemo fastum, nemo mordacem linguam accusauit in Collegio; nemo extra Collegium adulatricem notauit Lauernam, quæ furtim bonorum virorum bonam radere solet existimationem. Colebat humanitatem cũ omnibus sine intermissione, amicitiam sine simulatione, candorem sine fuco, liberalitatem sine exprobratione, pietatem sine ostentatione, cæterasque omnes liberali & ingenio

ingenuo homine dignas virtutes, sine næuo colebat. In illius ore sessitabat lepos, in oculis modestia, in fronte pudor, in incessu grauitas: in victu verò parsimonia, in potu sobrietas, in omnibus actionibus, virilis quædam conformatio, moderatioque viuendi manebat. Aliud agere, aliud simulare improbum ducebat. Prudentiam sine simplicitate, versutiam vocabat, simplicitatem sine prudentia stultitiam. Seruilis ingenij & liberalis esse dictitabat, Veritatem pulcherrimam virginem, cuius forma respuat omnem fucum, lenocinijs adulationis infuscare. Candidas esse debere & apertas Musarum ianuas: neque homines quidem appellandos esse, qui vno eodémque ore flare sorbereque, calidum frigidumque norunt fundere. Varia optimorum authorum lectione digestis in ordinem diebus, atque horis, animum reficiebat. Vt enim agros multiplici conserimus semine, ita ingenia (quæ Clemens Alexandrinus agros animatos appellat) varia & multiplici excolere debemus eruditione. Vt verò à Scorpionib. icti, ab ijsdem præsentem capiunt medicinam: ita nos altioribus attriti seueriorum studiorum contemplationibus, ab ijsdem studijs, sed mitioribus, animorum petere debemus relaxationem. Defatigauit ingenium tuum Philosophica speculatio, hebetauit & afflixit profunda eruditio, confer te, ad dulcia figmenta Poëtarum, vel lege variam Historiæ messem, vel consule floridam Oratorum officinam; sic animũ tuum præstantibus leuabis ac recreabis condimentis. In familiaribus etiam colloquijs, Orationis nitorem & ornatum amabat Gelasi-

nus, dicendi percupidus & docendi; condiebatq; nonunquam sermonem salibus & iocis honestis; quæ vel vetustas, vel illustrium virorum recens authoritas commendaret: adeòque horum omnium copiosam sibi supellectilē comparauerat, vt verè fuerit natura nomineq; Gelasinus. In eloquentia verò tantum profecerat, eumque fructum tulerat, vt etiam subito si esset dicendum sibi, satis concinnè & ornatè posset dicere: quod exercitium etiam summis Oratoribus, non semper ex sententia succedit. Ἐπικροτησιν suam Serenißimæ Reginali Maiestati, per aliquem ex Senatoribus reddere curabat: ecce verò præter spem omnē admittitur in conspectum. Subitò dicendum est, expalluit præsentia reuerentiaque Maiestatis; sed tamen dixit, & ita dixit, opusque suum accuratâ Oratione commendauit, vt omnibus minimè extēporanea videretur. Quod cùm Sereniss: Reginalis Maiestatis Cancellarius, Vir facūdus & disertus intellexisset, gratas esse tam frequentes lucubrationes, quas in aduentum Sereniss: Reg. Maiest. Academici Professores edidissent, sed illius gratißimam, quam ipse præsens tam diserta dictione commendasset, respondit, gratiāq; Sereniss: Reg. Maiest. pollicitus est amplißimam. Si quando, vt fit in communi vitæ consuetudine, non alicui satis fieret; tum ille (erat enim domus Præpositus) vultu placido & modesto, mitigare dolorem, excusare mediastini errorem, leuare ioco intempestiuam esuritionem; vt sæpe plus ex illius verbis, quàm appositis ferculis caperemus voluptatis. Est enim hoc nostrū genus vitæ, ita parsimoniæ studiosum & addictum, vt nisi

nonnun-

nonnunquam iucundioris vitæ temperetur oblectamentis, asperius pistrino Plauti, Cleanthis puteo rigidius, ac propemodum intollerabile videretur. Viuimus omnes affixi libris, lectionibus intenti, addicti laboribus, in silentio, concordra, fide: nemo nisi vnus, quem tangit ordo familiam curat, & pauperem mensam. Hanc ille cùm libenter & hilariter sustinere cæpisset Spartam, tandem in extremo limine succubuit Auditores. Nihil iam dico quid amici doloris, quid nos mæroris, quid omnes boni tristitiæ sustineant. Miramur omnes vehementer, tam præcipitem & atrocem casum, tam rigidam & acutam morbi intemperiem, quæ tam cito è suo tabernaculo eiecit animam & expunxit: cùm præsertim moderationem in victu, sobrietatemque illius satis perspectam haberemus.

Sed tamen fęlicem illius Audit. ex hac vita discessum possumus iudicare, quem dies solennis immaculatæ Natiuitatis B. MARIÆ Virginis excepisset. An dubitamus esse cælo natum, qui nascente terris Virgine gloriosa, mortuus est? Equidem ea die quæ mundo illuxit auspicatissima, ac desideratissima, meritò laborem cum præmio, certamen cum triumpho, mortalitatem cum æternitate commutauit; nobisq; signum reliquit certissimum, quam fuerit Patronæ suæ gratus hospes, & alumnus, quæ sua solennitate potissimum, ad immortalitatis possessionē illū esse voluit euocatum. Effecit hæc Virgo clementissima suis precibus, vt & contritus corde, & per Confessionem à suis noxis absolutus, & animo iam paratus, fide con-

de confirmatus,ſpe plenus, charitate munitus & accenſus, ex hac vitâ diſcederet. Nam inter pias contemplationes & eiaculatorias Orationes, quas ea nocte faciebat, aduentum miſericordis Iudicis præſtolabatur patienter. Patienter dico. Nam ſine gemitu, ſine querella, grauiſsimos illos dolores,& tædia mortis imminentis, ſuſtinebat. Itaq; iam finem dicendi faciam Aud. niſi vnum duntaxat eius pietatis, & noſtræ conſolationis argumentum, illudq; certiſsimum Vobis commemoraro. Sic enim ſe res habet. In illo ſolenni peruigilio Natiuitatis B. M. V. cum hora noctis fere tertia, quietiorem ei precaremur noctem; ad nos abeuntes conuerſus, voce cita & alacri, vt ne noctem, ſed mortem potius ſibi precaremur quietam, reſpondit. Tum ſe correxit nobis tacentibus. Verum eſt omnes vna manet nox. Et ego vobis extremum dico Vale Amici. Ibimus, Ibimus: Puluis & Vmbra ſumus. Poſtea ſe breuiſsime quieti dedit: & tandem quaſi expergiſcens, ſiue animo mortis certam periodum præſentiens,ſiue in Virginis Naſcentis (cuius nomen frequenter ingeminabat) ſalutatione defixus; ſiue aliquid aliud, magnum certè vt apparebat, mente concipiens & agitans: Puer da inquit calamum, & papyrum. Porrigit ille, hic accipit. Sed neq; iam manus ſcriptioni, neq; caput lucubrationi ſufficiebat. Quod puer aduertens dictaret quævellet, ſe ſcripturũ protinus ait. At ille. Scribe igitur,ſcribe citò, quæ nunc ego meditor, in laudes Virginis, Aduocatæ peccatorũ. Lento tandem ſermone contẽplationi totus immerſus, oculis intentis, manibus erectis, quaſi Saluatorem cum matræ glorioſa ſalu-

taret,

taret, dictabat. Adſtitit Regina à dextris tuis. Et ſubito per ſingultum atq; fletũ, cætera quæ locutus eſt verba, ita cõfudit,& ſuppreſsit, vt nullò modo poſsent (cũ tremulo tãtum modo motu ſubſilirent labra) intelligi. O pulchram vocem, ô iucundam meditationẽ, ô fælicem Virginis aſsiſtentis præſentiam! ô conſolationem morientibus omnibus exoptandã! Vtinam ſimilia Vota ac deſideria, nobis quoq; in mẽtem veniant Aud. in illo periculoſiſsimo pũcto mortis, quo artuum membrorumq; grauiſsima cõuulſio, Spirituum confuſio ac fremitus, tumultuſq; intollerabiles in homine oriuntur: dum tempeſtas cogitationum vrget conſcientiam, conſcientia torquet animam, anima Dei iudicium exhorreſcit: maximè vero inſultat, & circuit ille leo animicida, vt hominem deuoret morientem: Vtinam inquam tum temporis, hanc Patronam præſentẽ, & aſsiſtentem, & fructum ventris ſui, Ieſum benedictum nobis oſtendentem, vt ille habuit, habeamus. Nam certiſsimum eſt, qualis cuiuſq; vita fuerit, talẽ mortem imminere. Mitis ille natura fuit, & placidus moribus, pietate erga beatiſsimam Patronam conſpicuus, dum viueret, mortẽ quoq; piam, vt videtis, & minimè moroſam, expertus eſt, quanquã illum inſperatò oppreſsiſset. Non illi turpi phlegmate os redundabat: non præcipiti deliquio mens fluctuabat: interrogatus ad ſingula reſpondebat, omnia deniq; animo præſentiſsimo, pij deuotiq; hominis exercitia, faciebat. Torquetur moriens auarus Aud. ringitur inuidus, vexatur ambitioſus, exagitatur curis maximis, & deſperat homo quiſq; ſceleratus, & tædis ardentibus furiarum affligitur,

gitur, infernumque viuus adhuc patitur. Sua quemque fraus, & suus error maximè vexat, suum quemque scelus maximè agitat, amentiaque afficit, suæ quemque malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent. Audite iam vltimam vocem Aud. Cum se multum tenuisset in silentio, velletque quædam dictando perficere, sed non posset, tandem recepto Spiritu, voce diserta & plena lachrymarum: O Deus clementisśime, cur inquit ego, secundum propositum meum, non in aliquo religioso, arctioris vitæ instituto pœnitentiam ago? Cur non ibi morior; cur non ibi morior? Optabat Aud. & desiderabat, cum annos vitæ singulos, in amaritudine animæ suæ recolligeret, rigidiorem agere pœnitentiam. Videbat (quod etiam sanctisśimis hominibus in illo momento mortis accidit) quàm seuerum subiturus esset iudicium: reddendam esse rationem sciebat, actionum, sermonum, cogitationum omnium, ideo vitam arctiorem peroptabat. Nos ille quoque, credite mihi, extrema voce sua, ad meliorem vitæ frugem exemplo suo hortabatur, vt moribus integri, conuersatione circumspecti, omnibus actionibus iusti, prudentes, moderati, in hac vita viuamus. Stat quidem terminus nobis (ait togatæ Sapientiæ Princeps) vbi illũ inexorabilis fatorum necesśitas fixit, sed nemo scit nostrum, quam prope versetur. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extremum ventum sit. Nihil differamus, quotidie cum vita paria faciamus. Qui quotidie vitæ suæ summam manum imposuit, non indiget tempore.

Et

Et iam aurora cælo oriebatur ſereno, cum immineret aurea hora illius exceſſus. Conuenimus & lecto adſtimus amici, quibus ille nullum iam verbum reſpōdebat, ſed oculis loco defixus in vno, alto ducens pectore ſuſpiria, inter admonitiones, preceſque feruentiſsimas PP. Excalceatorum, noſtraſque lachrymas vberrimas, leuem animam celeriter expirauit. Hæc ſicut expoſui, ita geſta ſunt Auditores, amiſimus bonum Profeſſorem, amiſimus operarium fidelem & laborioſum, amiſimus amicum, omni virtutum genere clariſsimum, amiſimus in ætate florentiſsima Virum, cum nondum trigeſimum ætatis annum attigiſſet, Vana quidem eſt illa ſpes Aud. quam opinione, non re conſecuti ſunt, Ethnicorum illi Sapientes, quoties tumidi, & inflati, ex ſuis laborioſis rebus geſtis, cum quadam animi præſumptione, ſibi pollicerentur immortalitatem. Quî enim potuit eſſe Philoſophus ille immortalis, cum turpi ſuperſtitione, vitam habuerit inquinatam? Hæc verò quî potuit non inquinari vita, quæ veri carebat cultu cognitioneq; Dei? Et tamē audio quendam illorum, cum quadam geſtientis animi lætitia ſub ipſum mortis tempus cantilantem! non adduco græculi hominis verba, ſuffecerit interea linguâ referre latinâ ſenſum.

Virtus, inquit, laborioſa generi mortalium, indago vitæ pulcherrima:
Ob tuam Virgo formám, Græcis mors eſt optabilis:
Tollerandiq; grauiſſimi labores, indefeſſa conſtantia,
Tali ſcilicet fructu mentes accendis immortali,

Auro præstantiore, anteponendo vel parentibus,
Ac lenienti dolores somno.
Tua causa Diuus Hercules, Ledæq; Filij
Multa perpessi sunt, gestis rebus, potentiam tuam ac vim prædicantes.
In desiderio Achilles, & Aiax descenderunt
Ad Ditis atria. Ob amabilem formam tuam
Se priuauit lumine Solis alumnus Atarneæ,
Quem actis rebus clarum & celebrem, sempiterna laude,
Musæ decorabunt, Mnemosynes ac Iouis filiæ, maiestatem
Iouis Hospitalis extollentes, firmæq; amicitiæ præmia.

O miseram tuam cantilenam Philosophe, quam fluxa opinio expresſit, turpisſimorum Deorum cultus infecit, exitus perditionis excepit, & inuasit. Hæc est nostra maxima Auditores & optima spes, hoc desiderium auspicatum, hoc pro laboribus nostris præmium certisſimum, hæc denique æterna hæreditariaque possesſio, quam meritis IESV Christi lucramur, Dei gratia nobis cooperante promouemus, & firmamus nostram salutem in æternum: Vbi à laboribus quies, à curis & sollicitudinibus, incredibilis tranquillitas, à tempestate & fluctuatione, gloriæ portus tutisſimus, inuenitur. Itaque mihi non mortuus, sed ex hoc mortalitatis ergastulo, in Capitolium æternitatis translatus esse videtur, noster amicus Gelasinus: vbi omnibus ijs, quibus bona fama, virtutibus quæsita est, & quibus ad posteritatem, non ignauia sed labor,

non

non mollities animi sed industria, non turpe otium, sed liberale studium, non proteruia, sed omnium rerum patiẽtia, viam glorię parauit, certissimus est in cælo ac definitus locus; vbi beati sempiterno æuo fruuntur, ac consortio simillimarum sibi mentium, incredibilem in modum, oblectantur. Spem profectò certissimam habemus, hæc tanta tamque pulchra signa salutis fuisse, quæ moriens liquidò præstitisset. Tuam pietatem atque fidem appellamus & obtestamur D. Pater IOANNES CANTI, vt hũc flosculum pulcherrimum, quem crudeli falce mors inexorabilis, in nostro Parnasso demessuit, & excussit, in cõspectu Domini sistas, amænissimoque inseras paradiso. Tu expertus es labores nostros, & nunc vides conatus nostros, in illo qui videt omnia: iuua, protege, intercede precibus, & ab omnibus aduersariorum impetitionibus tuũ clientem defende.

Ergo nunc vt piè credimus, inter purpureos Quirites, Tuosque Leopolitas optimos, gratissimus hospes collocatus; crepundia phalerasque mundi, rides iucundissime Gelasine: at nos tibi extræmum vale dicentes, vt felix viuas, & rideas, & gaudeas in regione lucis, in patria viuentium, submissis apud Redemptorem Iudicemque tuum precibus apprecamur.

Pie IESV Domine, dona ei requiem sempiternam, Amen.

~~Gelasinus Gaspar Leopoliensis~~

~~Gymnasii Jaur: Professor Academicus~~